



EX-LIBRIS



BORBA

MORAES

RUBENS BORBA
ALVES de MORAES



19. sein a traduzir

JOANNI
AUGUSTISSIMO, PISSIMO, FELICISSIMO,
PORTUGALLIAE PRINCIPI,
TOTIUSQUE IMPERII GUBERNACULUM
AUSPICATIUS MODERANTI,
B R A S I L I A E
MAXIMO DECORI, SPEI, AC FIRMAMENTO,
L I T T E R A R U M
F A U T O R I E X I M I O,
DE REBUS A LUSIT. AD TRIPOLIM VIRILIT. GESTIS
C A R M E N

*In obsequii, summae reverentiae, gratique animi
Devotionem
Perquam submisse.*

D. O. C.

JOSEPHUS FRANCISCUS CARDOSQ,
Soteropoli Bahiensi
Regius Latinae Linguae Professor.



ULYSSI PONE,
TYPOGRAPHIA DOMUS LITTERARIAE AD ARCUM CAECI,
ANNO M. DCCC.

Suae Regiae Celsitudinis Jussu.

*Tels ont été les Grands , dont l'immortelle gloire
Se grave en lettres d'or au Temple de Memoire.*

Le Roi de Prusse E'pit, 1. à son Frere,

C A R M E N

TU ne, Musa, time: fidens tua plectra moveto,
Ardua si tentas, haud viribus æqua, labori
En DEUS aspirat, CUI non certaret Apollo,
Non Heliconiadum turbæ ingeniøsa sororum.
Pindum, ac Parnassum vani lusere Poetæ;
Nusquam Hippocrenè: Solio tibi manat ab alto,
Quæ tardam exacuat felix audacia mentem.
Hac secura voles; tranareqne nubila cæli,
Et pelagus valeas; valeas arcana subire,
Incertæ nondum farnæ corrupta loqueli.
Se quasi frustrari libeat, præsentia Vatum
Numina sollicitent alii, laticesque requirant
Aonios: vero QUI numine parva JOANNES,
Cum velit, extollat, præcelsa teratve, canenti
Dexter adest, nutuque silens jubet alta benigno,
Unde tibi virtus, mens Unde est, spiritus Unde.
Jamque ardent animi præclara sub Auspice tanto
Dicere, magnanimum laudes celebrare Virorum:
Qua gens perfidia, quo crimine Maura nefando

Pectora Lusiadum veteri succenderit igne ;
 Quasve novas dederit pœnas odiosa propago ;
 Donec in officium Mavors rediisse coegit.
 Ficta procul : sincerus amat sincera JOANNES.

Labitur in medias terras ubi longius æquor ,
 Cujus ad os validas fertur posuisse columnas
 Amphitryoniades , jacet urbs antiqua , ruinis .
 Se veluti retrahens Byrsæ , Trinacria longè
 Littora prospectans ; opulenta , et nobilis olim ,
 Dum non armato Navarrus milite pressit ;
Nunc tantum sinus , et statio malefida carinis.
 Hinc solet infestas cava trabs agitare rapinas ;
 Huc redit exuviis miserorum læta cruentis.
 Nec solis gaudet spoliis : in vincula mittit
 Imbelles , pecoris quos aut divendit ad instar ,
 Servitio aut premit indigno tetrica proles ,
 Natureæ probrum , labes ratione frumentum.
 Hoc decus , hic illis honor , hæc laus dira relicta est.
 Eminet imperio præstans feritate tyrannus ,
 Obscenæ stirpis custos obscenior ipse.
 Perfidus hic teneris versare peritus ab annis
 Omne nefas , temerè fas omne abrumpere doctus ,
 Quod non arripiat , crimen non prospicit ullum ;
 Et siquod videat se præterisse , dolebit :
 Prodigio similis , magnum nisi sparsa per Orbem

Fæx hominum hæc esset ; potius ferienda securi
 Quæ fuit , urbanis ultro quam digna citroque
 Officiis , nedum sociali födere jungi !
 Quod si aliter visum Rerum Moderantibus axem ,
 Lux véniet , spero , libeat cùm finibus exul
 Extremas immite genus detrudere in Arctos ,
 Quà trahit hybernus torpentia plausta Bootes ;
 Seu Notus unde recens bacchatur , inhospita tellus
 Hos sibi conquirat cives , teneatque per ævum :
 Sive habitent saltus , furtivoque antra recessu ,
 Sanguinē ubi pascant socii , nova monstra , ferarum ,
 Ungue rapace quibus præeunt , virtute minores.
 Cum scelus ingenium est , nihil inde evolvitur æqui ;
 Jam Natura malas nequit obliviscier artes :
 Nam qui pœniteat morum , per sæcula postquam
 Invaluit , totosque lues descendit in artus ?
 Crimen ubi donis cumulatur , casta laborat
 Esurie Probitas , vulgo exagitata procaci ?
 Barbara progenies inversis omnia dicunt
 Nominibus : justa odérunt , injusta probantes.
 Ardor is est sceleris , sic noxae prævalet usus ,
 Ut perpetrandi facinus non tempus omittant ,
 Vel prædæ rapti stimulis , vel amore nocendi ;
 Interdum ne aliquid videantur ferre decori.
 Quam non hæc reddam fallaci pectore , nemo

Non nōrit: quales mendax emiserit auctor,
 Hæresis infandæ comites, Mahometus alumnos;
 Auribus atque oculis tantummodò nesciet expers.

Quæ nuper, generose Donalde (1), imania turpi
 A grege pertuleris, quas dic fraudesque dolosque!
 Quot varios casus; quot adire pericla, labores
 Teque, tuosque Ducis perjuria foeda bilinguis
 Impulerint, animo tamen omnia victa potenti!
 Eximio imperii summi decoratus honore,
 Obtuleras ultro *Pacem*, quam Barbarns ipse
 Suppliciter, magno Rege auxiliante, petebat.
 Lex non ulla fuit levior: » *Quod dedere Gallos*
 (Offenso Domino; læsis pariterque Britannis,
 Födere conjunctis, Tripolinæ in moenibus urbis
 Comiter exceptos) *festinet* »: et illico voti
 Se putet esse reum; accipiat dextramque, fidemque
 PRINCIPE ab Augusto. fulvis pretiosus arenis
 QUEM Tagus observat; Gangesque, Nigerque veretur;
 Subditus immensas resonantia in æquora gurges
 Volvit Amazonius, nec non Argenteus undas.
 Regulus acclamat gaudens, ardetque pacisci.
 Jam properat, fortemque Virum studiosus in aulam
 Invitat; quidquid mens suggerit atra, paratus

Ex

(1) O Chefe de Divisão Donald Campbell.

Exercere prius, quam consentanea Vero,
Commoda multa sibi quantumvis afferat, optet.

Haud mora: quid tristes arces fatale minentur,
 Quidve domus ferat ambigua, imperterritus Heros
 Nequaquam metuens, hostiles tendit in ædes.
 Talis acerbati Carolus prorupit in hostis
 Ora domumque audens, solus; post multa regressus:
 Seu talis, monitu contempto Cæsar amico
 Barbara conflantem celeravit adire Senatum,
 Vincere consuetus vultu, indocilisque timere.

Imperat interea puppi Legatus (1) in alta;
 Dum redit ille, (valet si forte redire superstes)
 Nocte vigil memores solerti pectore curas
 Pertractans: animoque æger, spem fronde serenat.
 Ni regredi liceat, cum jam lux alma resurgat,
 Inducatque novum terris Aurora decorem,
 De se nil curans absente, irrumpere in hostes
 Dux jubet invictus, toto quo robore possint.
 Pro nihilo sibi vita fuit, potiora tuenti.
 Nam pede quam celeri fugiunt hæc munera lucis;
 Quam, si Fama silet prænuntia, maxima parvis
 Nomina nominibus miscent obliavia Lethes,

Haud

(1) *O Capitão de Fragata José Maria de Almeida;*
hoje Capitão de Mar e Guerra.

Haud acrem latet ingenio , cui gloria cordi est.
 Rejicit in vulgus tangentia gaudia sensus :
 Grandibus addictus , lethum , et vulgaria temnit ,
 AEtates , fato major , victurus in omnes.

Quid Fabios memorem redimentes prælia solos ?
 Quid Regem , cives moriens qui reddit ovantes ,
 Ultimus imperio Cecropis dominatus in agris ?
 Quidve feram juvenes , mactant qui densa cadentes
 Agmina , flumineos potando morantia cursus ,
 Centuplicem decies numerum (mirabile dictu !)
 Quot nusquam , nullo quis tempore millia duxit ?
 Nil veterum monumenta docent illustrius ; imo
 Firmius haud quidquam , quidquam vehemenius ausit ,
 Nobiliusque sibi jam fingere mascula Virtus.
 Quæ tamen apparent rerum transcendere metas ,
 Monstrat , qua peragi possint ratione , Donaldus.
 Et Codro , et Fabiis , Lacedæmoniæque Juventæ
 Vix liquit partes Unius fama secundas.
 Atticus ille suis quæsivit morte triumphum :
 Magnum est ; sed populo debebat talia civis ,
 Et ductor , monitis etiam signata deorum .
 Romanos inimica senex in castra simultas ,
 Et palma expectata , et non dubitabile traxit
 Nominis augurium , nullo delebilis ævo :
 Tum patriis pulchrum occidi succurrit in armis.

Quæ

Quæ se , quæque deos , quæ natos , atque parentes ,
 Uxoresque tuebantur , pro parte virili
 Angustas presso propugnavere Lacones
 Si pede Thermopylas , sibi dulcia fortiter ipsos
 Defendisse patet ; quodque aspera fata levaret ,
 Cum cecidére , datum est , ut non morerentur inulti.

At meliora quidem circumstant omnia Factum
 Egregium , immortale , mihi quod ferre per Orbem
 Contigit invalido , valido grave pondus Atlanti .
 Non hic illecebris , ut fit , jucundior ullis ;
 Nuda sed occurrit , per se pulcherrima , Virtus.
 Nequitiae infensus pariter malefacta perhorret ,
 Virtutemque colit , Virtutis amore , Donaldus.
 Nil , raptare solet quod maxima in omnia mentes ,
 Nullus amor patriæ , vindictæ nulla cupido ,
 Utilitas , aliusve furor commovit agentem .
 Ante oculos habuit tantum , quod munus obiret ,
 Eventus quicumque foret , quodcumque periculum .
 Heu ! quot concilium horrendum jam mente volutat ,
 Quot struit insidias ! Plebs undique convenit exlex ,
 Seque inter furtim venturo retia tendit .
 Exultant præda : plūs induluisse videtur
 Ingenio , summisque efferti laudibus ille
 Dignior , inventum cujus sit atrocius , ore
 Qui vomat impuro novum , et execrabile quoddam ,

Flagitium insolitum , rabida plaudente coronâ.

Hic monet , invisam pedibus vix tangat arenam ,
 Excipere incautum ferro , lacerumque propinquas
 (Horresco referens) dispergere corpus in undas :
 Hic mavult , immissa cohors in foedus euntem
 Hinc telis atque hinc subitò quòd figat acutis ,
 Securus medium cum progredietur in urbem :
 In caput , alterius monitu , violabile nulli ,
 Pulvere nitrato prægnans , cava fistula mortem
 Eminus ejacularetur : seu tramite subter
 In terram ducto , quâ Vir procedat , oportet ,
 Nonnullo suadente , latens erumperet ignis :
 Atque alia eructant alii , superanda vicissim .
 Perversas adeo mentes habet æmulus ardor
 Crimina patrandi , sic dulce est dedecus illis .
 At DEUS Omnipotens molimina cuncta fefellit .
 Tale Vir induxit decus , observantia vultus
 Tanta est , ut media medios in luce per hostes
 Conspicuus , damno spatietur sospes ab omni .
 Non , nisi magnorum scelerum bene cognitus usu ,
 Exitiale nefas peragendum suscipit ullus .
 Cum tamen in prædam mens involat improba , (mirum !)
 Dextra consilio refugit servire maligno .
 Sævit in officium lethale ter apta voluntas ,
 Carnificum inclemens animo ter linquitur agmen ,

Ter manibus trepidis penetrabilis excidit ensis ;
 Invitisque dolis , insignem victor inermis
 Dicit inoffensus per compita cæca triumphum.

Limina jamque subit (Caco haud indigna) tyranni ;
 Sive ut paciferæ det amicum pignus olivæ ;
 Seu , reboante polo , missurus fulmina belli.
 Quid cessas ? Quid jam , Vir magne , tonitribus aures
 Non quatis insanas ? Quid stant fera moenia ? Quare
 Vela Noto sinuosa intendens , Regia nondum
 Fulgurat horrendum Navis ? Credisne futurum ,
 Ut reperire fidem semel his Tibi detur in oris ?
 Nunquam post homines natos Astræa scelestas
 Visa fuit coluisse plagas , ubi Paçta Fidesque
 Cardine versantur duplici : *Pretiovè , Metuve.*
 Eia age , rumpe moras : generi ne parce nefando.
 Muneribus certent alii ; tu cuspide . flamma.
 Omnia quæ subigit , ratio civilis agendi ,
 Non hic componat secum pugnantia verba :
 Detestanda nihil , præter vim , turba veretur.
 Obsecrat assiduus tutæ dum foedera pacis ,
 Barbarus effugia exquirit , disturbet ut unam ,
 Ad rem qua tantum veniat sententia , legem.
 Non quod sollicitus *Gallos* sibi quærat amicos ,
 Sed modò ut inveniat , quo pacto imponat utrisque :
 Frustra ; circumspecta præest sapientia dictis.

Callidus , objecit quæcumque dolosa , retundis.
 Quam male conveniat primò , quem obtrudit , honori ,
 Communem sociis , et , cui parere tenetur
 Subjectus , Regi , sociasse penatibus hostem ,
 Ostendis ; concertatos dein puppibus altis
 Pollicitus (quondam nulli data gloria) *Captos*
 Mittere barbata ad Dominum comitante caterva ;
 Nam , post multa , vafer Dominum prætexit et ipsum :
 Nulla reliquisti , Vero quæ opponere posset.
 Se tamen obfirmat , caussisque resistit in isdem ;
 Non secus , ac surdo , aut si fiant verba sepulto.
 Altius hæc prævisa Tibi , Maurusia quorsum ,
 Experto , rabies in Fas pervadat , et AEquum ;
 Natura indociles plus indulgentia quantò
 Difficiles animos reddat : sed Marte feroci
 Subversurum operum moles , atque impia letho
 Corpora , sic meritos juvenesque , senesque daturum ,
 Cuncta priùs tentaré juvat : si forte disertis
 Vocibus edictos miserandæ stragis acervos
 Formidet genus ignavum ; neque sanguine mixto
 (Proh dolor !) humano , pigeat vidisse rubore
 Cærula tincta novo , terrasque crux madentes .
 Quid verò Pietas prodest ? Spes interit omnis ;
 Curæque , ærumnæque ingentes irrita cedunt.
 Nequicquam gemitus imo de corde petitos

Edis : inhumanos opus est advertere in hostes.

Tum demum indignans , hostilia concipit Heros ,
 Omnia mente putat temeraria gentis iniquæ ;
 Horrida tecta , urbemque feram , portusque relinquit.
 Supplicibus facilem nuper , nunc ardor adurit
 Calcandi tumidos : veluti nemoralibus umbris ,
 Aut cum per Libycas fertur jejonus arenas ,
 Rex Leo fastidit generosus , calle viator
 Corpore qui jacuit pavidus ; truculentus at ipse ,
 Quem videt adversum , frendens evertit ; et audax ,
 Quò plures oppugnabunt , magis æstuat ira ;
 Nec , jaculis acies horrens si provocat unum ,
 Segnior aggreditur moriturus in arma decorè .

A Ere salutanti , plausuque sequente faventum ,
 Ecce statim malo Signum diverberat auras
 Sanguineum , non enarrabilis omina cædis .
 Turba modum nescit : Martis certamina poscunt .
 Omnia rite parant ; describitur ordine munus
 Cuique suum , Navis dum pandas explicat alas .
 Fax manibus lucet ; reseratis ænea centum
 Ora patent foribus , volucrem minitantia mortem .
 Jam tremit urbs infida , manus ad sidera tollens ;
 Jam confessa nefas , in semet probra retorquens ,
 Orantes mittit supplex breve tempus , anhelis
 Quo requies animis , liceatque timore solutis .

Consuluisse sibi : referunt concessa precantes.
 Debita jampridem , duodenam tardat in horam
 Poena dolis , populo tandem infligenda protervo.
 In nubem interea nigrantem cogitur aer ,
 Nec dudum splendens , tristis præsagia damni.
 Concio narratur procerum numerosa sub Orco
 Pro consanguineis , tetrico circumdata Diti ,
 Christiadum in cœtum , quos Lysia nutriit uber ,
 Nunc vastaturos Mahometica moenia misit ,
 Multa Jovem Stygium manibus rogitasse supinis.
 Audiit Umbrarum rex impia vota precantum ;
 Et famulo , quem habuit propiorem , talia mandat :
 Quod celer AEoliam superas apportet in auras
 Ventorum hæc torvo , tempestatumque tyranno
 Edicenda suis verbis : » Tentare superbū ,
 » Tartara defraudantem animis , Acheronta perosum ,
 » Nil non audentem Populum vada salsa carinis ,
 » AEquorei fratris liquefia regna , subinde
 » Quem vult admonitum : sociis ut viribus ambo
 » Indigna sibi grata loca obsidione prementem
 » Exagitent mare per vastum stridente procella ,
 « Rectore amissō , rupta compagine *Puppem* ;
 » Sive vadis illidendam , saxove latenti
 » Præcipitem avertant pelago ; fremituque rogantum
 » Auxilium frustra audito , festiva bibentes
 » Ur-

» Urbs mortem cernat mediis in fluctibus ipsos. »
 Dixit , et in superas jam nuncius evolat auras ;
 Advenit AEoliam properans , ac jussa facessit.

Mittitur angusto jam carcere turbidus Eurus ,
 Obvia quæque trahens. Mollis fugit aura Favoni ;
 Lux fugit : horrisonum cœpit mugire profundum .
 Unda tumet ; totumque citò canescere pontum ,
 Undique præruptos videas consurgere montes.
 Lignea texta gemunt ; arbosque triplex momento
 Huc illuc decies , jamjam lapsura , vacillat.
 Utque pila si quis volitanti luderet icta ,
 Sidera nunc tangit , tangit nunc Tartara Pinus ;
 Itque reditque frequens , sursum levis , atque deorsum .
 Condidit ora tribus lugubris Apollo diebus ;
 Noctibus atque tribus sua lumina condidit æther :
 Nec violenta die veterator flabra secundo
 Si tenet Hippotades , fraus est accredita cauto .
 Horrida bella parans , ferroque instructus , et igni ,
 Dum malus assimulas faciem , Neptune , serenam ;
 Dux jubet expertus mox proram obvertere in altum ,
 Ut freta permiscent iterato murmure venti :
 Littoreis ne forte salis violentia molem
 Turbine jactatam nimboso impingat arenis.
 Huc vi , qua pollut , contendit Numen utrumque .
 Quà circum patuit Nereus , circumvenit horror.

Luctantur varia fratres regione furentes;
 Fluctibus incursant fluctus; subito mare motu
 Intremuit longum: mediæ telluris ab imis
 Visceribus credas Qrbem Plutona movere.
 Tot simul impulsu, qua dirigat arte magister
 Præcepti lignum impatiens? Abiesque, rudentesque
 Haud perstare valent: antenna fragore ruinam
 Ingentem traxit, lacerataque vela susurrant.

Curarum, hæc inter, minimè Vir mole gravatus
 Omnibus acer adest, partes divisus in omnes;
 Consilio, exemploque juvans. Abit æmula virtus
 In cunctos: nemo segnis: rapiuntque, ruuntque.
 Ars vicit prudens; audax constantia vicit;
 Atque alta æquatis jam velis æquora Navis
 Sulcat ovans. Nutu QUI fulgida sidera torquet,
 QUI mare, QUI ventos, Erebum, terrasque gubernat,
 Haud sinit infestos ultra nocuisse tumultus.
 Namque modò ut Virtus niteat memoranda Virorum,
 Tot licuit pugnas ventisque, undisque ciere.
 Effera placatur sensim discordia fratrum:
 Nubibus obductus, solito fit purior æther:
 Lux redit; atque redit jucundior aura Favoni.
 Ut fluctus revocet, squamosam assumere concham
 Jussus erat Triton; assumptaque uvidus ille
 In summas emergit aquas, maria omnia circum

Voce repleturus : vox protinus attonat ingens ;
 Raucosque audire sonos Occasus , et Ortus.
 Quæque suos , invita licet , petit unda receptus :
 Hæc propior Siculas festina recedit in oras ;
 Hanc Syrtes capiunt ; longinquas illa revisit ,
 Venerat unde pari Tripolis pro nomine , ripas :
 Oceani juxta fines nonnulla moratur ;
 Excita non aliâ fundo , quædam ima resedit .

Ergo die tandem quarta , dum barbara summis
 Culminibus turbâ explorans , illusæ putabat
 Corpora naufragio fluitantia cernere longè ,
 Antennas , tabulasque ; ut Lysia gaza per undas
 Nota foret cuidam ; aut qui non auderet acutum
 Sic vidisse procul , demens jactabat ubique ,
 » Nil , nisi reliquias , sicui maris ira pepercit ,
 » Effractam laribus puppem retulisse paternis » :
 Laxa gubernator dat amicis carbasa ventis ;
 Atque eadem relegens , ad cognita littora tendit ,
 Incassum , meritas dudum ; vitantia poenas .

Jam nox finierat ; sed nondum luce corusca
 Fulgor Apollineus terras complebat , et æquor ;
 Ut neque jure diem posses , neque dicere noctem .
 Cum verò illuxit , penitus fugientibus umbris ;
 Et Caput Eois Hyperione natus ab undis

Extulit , ipse prior , velis , remisque *Celocem*
 Insignem proprius vidit nautesque videndam
 Obtulit : insequitur Navis : fugit illa volucris ,
Agmine remorum celeri , ventisque vocatis.
 Ac veluti properis quærerit per inania pennis ,
 Vix aquilam sensit , treñefacta columba salutem ;
 Nec legit examinata locum , seu lustra ferarum ,
 Sive nemus , seu sint magnarum tecta domorum ;
 Dummodò (quam raro !) curvos eluserit ungues :
 Sic ratis exiguis pro viribus aufugit hostem
 Parvula præstantem , flexis ambagibus ; et cum
 Non datur elabi , fragilem conterrata proram ,
 Jamjam hæsura vado , solitus advertit arenis.
 Hic animos reparata sedet securior ; altam
 In brevia haudquaquam descendere posse carinam
 Quippe sciens . Tum elata fronte insana superbit ;
 Prælia tum jactat ; tum cristas vertice tollit ;
 Et , quibus attingi non possit , in arma lacepsit .
 Haud impune quidem : nam quid mortalibus obstat ,
 Ut semel irarum æstus fortia pectora movit ?
 Extemplo , ducente *scapha* , exiluere *phaseli*
 In mare veloces , flagrantes vindice flamma .
 Certatim delecta phalanx incopta capessit :
 Plurima quisque dedit ; nullus non magna patravit .

At laus prima Tibi , cognomen Oliva (1) Minervæ .
 Cui fecit , cui nunc victricia tempora cingit .
 Tu cymbam ingrèderis primus ; tu grandine primus
 Igñifera minimè tardatus , verbera remi
 Sæpius ingeminans hostilia castra prehendis ;
 Cum perculta Manus formidine , vincula rumpit ,
 Navigioque simul tutam procumbit in actam :
 Tuque idem primus , pariter cum fulmine factos
 Forcipe Cyclopum , globulos displodis in hostem .
 Sunt majora tamen : discrimina dura supersunt ,
 Quæ Te saxosi rapiant ad culmina montis ,
 Regnat ubi aurato sublimis Gloria templo ,
 Gemmea sceptra tenens , comitatu cincta frequenti ;
 Quos apud æterno perstes e marmore totus .
 Non satis est tetigisse ratem ; non scandere plures
 Ex sociis vacuam : miscentur gaudia luctu ,
 Exitio quæ aliis , ut iniqua sorte juveris .
 Unda repente duos Tecum post terga reducit ;
 Undaque fluctivagos réfluens ad littora volvit .
 Hic sis , apparet , quantus Vir ; miraque fulget
 Hic animi virtus , et corporis , una labores
 Herculeos vincens , quidquid volueré Poetæ .

B

Gens

(1) O Capitão Tenente Miguel José de Oliveira :
hoje Capitão de Fragata.

Gens fera vicinos (Arabum de stirpe creati)
 Errabunda colit montes, hirsuta, nigroque
 Terribilis vultu; pecudum, de more luporum,
 Sanguine pasta, gregi quas devius abstulit error:
 AEmula seu tigridis. prædatur ovilia, silvas
 Prædatur; nullumque locum non cæde replebit.
 Telis armata omnigenis hæc, fustibus, hastis;
 Pars gladio, sicave minax; pars igne, sagittis,
 Aut saxis, aliisve; cacumina celsa relinquunt,
 Fratribus auxilio celeres: (numerare quis ausit?
 Gramineos armenta putes populantia campos.)
 Ac tanquam oppugnet montano in vertice castrum;
 Aut obeat validus turritam exercitus urbem;
 Utraque colluvio Tres obsidet, utraque toto
 Pectore conatur; decies si quinque dabantur
 Hostes cuique Trium nuper, nunc millia cuique
 Obveniunt; acres, firmis ac viribus omnes.
 Quis tam facundus verbis portenta sequatur?
 Quis satis obstupeat? Quis non, pro testibus Orbis
 Ni sit terrarum cunctus, mendacia dicat?
 Qui vidit, quique egit, adest; auditùr ubique.
 Cernere erat prævisa quidem spectacula nusquam.
 Impavidus populum incursantem sustinet Heros;
 Sustinet atque comes duplex incensus ab Ipso.
 Vis furibunda ruit; valles clamore resultant.

Hinc , atque hinc effraena Virum urget : sibilat ictus
 Creber : at Ille omnes dextra , lævaqüe repulsat
 Integer , immotus. Geminat pudor ipse furorem :
 Mille novas addunt variis assaultibus artes ;
 Vulneribusque manet Vir non penetrabilis ullis.
 At contra Stygias multos deturbat ad undas :
 Irruit huc , atque huc ; frustra nec fulminat ensis.
 Cominus audenti ferrum huio in viscera condit ;
 Hunc hasta metuendum oblonga , corpore vasto ,
 Ductori similem tardos in bella vocantem ;
 Haud gemino plūs ictu , hastili dejectit orbum .
 Ille cedit mutilus ; vitam efflat et alter anhelus :
 Hic caput avulsum ; jacet illic truncus : oberrant ,
 Quo visus cumque intendas , vaga crura , lacerti.

Qui trahis *Almedia* (1) de gentē agnominā , Josephī ;
 Palladiis pulchre conjungens Martis honores ;
 Et Tibi clara dies peperit dēcūs immortale.
 Littore qui certant ; et quos , sidente *phaselo* ,
 Capta *Celox* tenuit , crudelia multa ferentes ;
 Quod salvi redière , tuum est. Dum navis utrisque
 Subsidio , *Magno* nec deteriora sequutum ,

(1) O já mencionado Capitão de Fragata José Maria de Almeida ; hoje Capitão de Mar e Guerra.

Mittis Alexandrum (1); ter senis oribus unum
 Quod responsa dabat, jussitque silentia; rursum
 Os medios atra spargit sub nube frequenter,
 Horrisico sonitu, fatalia frusta per hostes.
 Tu terrore animos turbasti primus, arenas
 Sanguine ut imbutas gens aspera vidit, et undas:
 Finiit emissus Vir cætera. Remige proino,
 Impiger ille frētum verrens, mandata facessit:
 Pervenit ad socios; inimicum vertit in ipsos
 AEs dominos, glandesque suas in littora mittit,
 Agmina jam cedunt retro: gelidus quatit artus
 Jam timor: in diversa capit, quasi sumeret alas;
 Quisque fugam; strepitumque putat sentire sequentis.

Tum vocat ad Navim cunctos; atque obvius unum
 Quemque petit Ductor complexu, gaudia verbis
 Testatus, facieque: memor cujusque decora
 Singula commendat, meritis ac laudibus ornat;
 Grataturque sibi, quod Talibus imporet, ipse.

Postquam animos novit recreatos, vespere cœpit
 Sedulus, ut fieri potuit, loca adire vadosa;
 Tunc rutilas primūm jaculatus in agmina flamas,

De-

(1) O Segundo Tenente Alexandre Luiz de Sousa;
 hoje Primeiro Tenente.

Desertum (numero plures) reptentia littus.

Tum *parvae* sub matre *Rates* (nam marmora planè

Strata silent) interclusam removere *Celocem*

Margine connixæ tentant , conamine casso.

Ludentes Nymphæ super insuluere marinæ ,

Atque suam vocitant : at quis vel Doridos audax

Sedibus obtineat patriis depellere natas ;

Vel , quæ operi admoveat , Briareia brachia tendat ?

Hoc tamen haud vestrum munus , Nereia proles ,

Quæque venusta licet , licet omnes munere dignæ

Igneæ flamma vorat , quod non Victoria tollit ;

Jure quidem : damnis etenim majoribus obstant

Damina minora ; priusque animos non magna rebelles

Detrimenta domant , gratos quam munera reddant.

Pinea jamque ardent : rabies Vulcania regnat.

Pingua multa fovent , pix , atque bitumina flammæ :

Ut vix inceptos nemo restinxerit ignes.

Auditur crepitus creber : scintilla videtur

Fumosis erupta globis , in sidera velle .

Unde sibi natale venit , fugitiva reverti.

Cymba rogas tota est : nubes incendia lambunt.

Talia , nequicquam furiis incensa , tuetur

Rustica progenies , latitans post saxa , comisque

Arboreis passim protecta : nec amplius audet ,

Haud oblita sui , communi credere luci ;

Qua valet, in tuto arte nocens ; nam plurimus illinc
 Frustratos iterum atque iterum tubus æneus edit ;
 Collimante oculo, sonitus ; lapis evolat illinc.
 Non tamen heu ! frustra omnino : manus impia lethum
 Fert tandem, quò vult : et qui certamine aperto
 Vix *unum* potuere levi perstringere plaga ;
 Insidiis tecti, crudeli vulnere læsum,
 Nunc ferri gaudent *unum* jam morte gravatum.
 Hunc modò victores poscit Bellona cruentem,
 Tot luitura Viris, quodcumque perire necesse est ;
 Ac vitam ætates hinc deductura per omnes.
 Inde gradu celerans invadit sæcula Petrus (1) :
 Inde virens decorat Ludovico (2) laurea frontem :
 Nescius inde mori Joannes (3) extat ; et inde
 Qui merito appellatur *Homo* (4) : et qui nomen adeptus

A

(1) O Primeiro Tenente Pedro da Silva ; hoje Capitão Tenente.

(2) O Primeiro Tenente Luiz de França ; hoje Capitão Tenente.

(3) O Segundo Tenente João Eleuterio da Rocha ; hoje Primeiro Tenente.

(4) O Segundo Tenente Francisco Homem de Magalhães ; hoje Primeiro Tenente,

A Bello (1) appositum , socio Emmanuele (2) , perenni
 Cum laude , existet dum Martia gloria , vivent.
 Sic ridet Virtus non exorabile Fatum.

Tempus erat , quo lassa cupit Natura quietem ;
 Cum Phaeontis equi stabulis recreantur in altis ;
 Et nox astrifero terras involvit amictu ,
 Adducens curis lenimina grata diurnis ,
 Tum reparant vires Nautæ ; per strata jacentes ,
 Tum vario inter se gaudent sermone labores
 Perfunctos meminisse : quot ictus , quotque pericla
 Fugerit illudens ; animas quot miserit Orco .
 Dicere quemque juvat : donec , non mollior unquam ,
 Fessa gravi Morpheus devinxit membra sopore .
 At non perjuræ qui præsidet impius urbi ,
 Nec dulces carpit somnos , aut pectore curas
 Consopire valet : scelerum tot conscia , primùm
 Se , cogente malo , nunc anxia corda remordent .
 Non dolet amissam navim ; non cæde peremptos
 Terrifica cives : sibi tantum prospicit uni .
 Jam videt ultrices flamas ; cervicibus ensem

Jam

(1) O Guarda Marinha Gaudino José da Guerra ; hoje Segundo Tenente.

(2) O Sargento de Mar e Guerra Manoel Ignácio ;
 hoje Segundo Tenente .

Jam videt instantem ; prostratas jam violet arces.
 Mens pendet : quid enim , potius quod vellet , habebat ?
 » Anne Virum toties delusum fraudibus , inquit ,
 » Nunc etiam tentare ausim ? Num moesta precantis
 » Vox mérito ardentes nunquam non molliet iras ?
 » Tradere si *Gallos* properem , non jure negatos ,
 » Id sat erit ? Dono gaudentem nonne vicissim
 » Promissis , pactaque fide delectet abuti ?
 » Dulce est ulcisci : modò qui nequit , hæret inultus.
 » Quæ superant igitur ? .. Meque , et quas blanda voluptas
 » Delicias gignit , dubiæ committere pugnæ ?
 » Quid ? *dubiae* dixi ? ... Nil non deperdere certum est.
 » Corpora multiplices tria si pepulére maniplos ;
 » Et misére (fide majus !) sub Tartara multos ,
 » (Proh pudor !) incolumes , quid non superabile cunctis ?
 » Quin molire fugam , infelix ; quin collige , quidquid
 » Subductu facile est , vitans mortemque , pudoremque.
 » At quibus in terris misero latitare licebit ?
 » Quæ regio , quamvis deserta , aut quæ æquora possunt
 » Accipere errantem , profugum ? .. Splendore quis optet
 » Deficiente sequi dominum , seu servus , amicus
 » Sive sit ? .. Imo omnis fugientem turba sequetur ,
 » Ac vita , aut furto , aut captum spoliabit utroque.
 » Non ita : constabunt magno mala nostra ; nec ullis
 » Parcere flagitiis mens est , neque fraudibus ullis .

» Audacem ingenio , claro tumidumque tropæo ,
 » Insidiis circumveniam : sub tecta reducam ,
 » Omnia pollicitus , quidquid deposcat avarus.
 » Cumque lucro illectus veniet ; si tecta viarum
 » Crimina devitet solers , coram integer adsit ;
 » Unguis infandum caput , atque excindere morsu
 » Non avido pigate : cor insatiabile dextra
 » Pectore convellam ; fumantiaque exta vorabo. »
 Talibus infrendens , secum rixatur , et ipse
 Labra sibi , atque manus iterumque iterumque momordit.
 Qualis , ubi cavea detentam fuste lacessas ,
 Ocyus evolvens sinuosis orbibus orbes ,
 Terque quaterque furens ictus jacit irrita serpens ;
 Et cum lassari studio se advertit inani ,
 Sanguine suffectis oculis , dat sibila linguis
 Ore venenato vibrantibus ; omnia circum
 Dente rapit spumans , se dentibus impetit ipsam ;
 Tabe solum egesta , maculosaque terga redundant :
 Tutus at invalidas derisor despicit iras.
 Persicus interea geminatis eantibus ales
 Nunciat Auroram , curas dum lenit amaras ,
 Insinuans ægris quoque somnos , roscidus humor.
 Tum deus adrepens male sano deligat artus ;
 Atque soporifero flammatæ papavere tangens
 Lumina , non ultra rabidos sinit ire furores.

Stertit eò graviùs , quò plùs exarserat ira.
 Non tamen irrigui capit ille levamina somni ;
 Non effoeta diu solatur membra quiete.
 Quæ vigilem exercent , mentem deliria terrent
 Nunc quoque jucundo victam languore : videtur
 Ipse sibi , incomitatus , egens , pedes ire remotas
 Orbe vias alio ; quà nulla hominisve , feræve
 Planta notabat humum , non cælum avis ulla colebat.
 Intima nunc sentit sibi viscera vulture rodi ;
 Insectantem hasta , dòrsum jamjamque tenentem
 Nunc fugere appropans , hæret pes , crura tremiscunt ;
 Rupibus interdum casurus pendet ab altis .

Ecce metus inter vanos exurgit Imago
 Vera , ingens : adeo manifesta , ut clarissus adsit
 Non quod præsentes præsens in luce videmus.
 Quem Ganges hodieque colit , veneratur èt Indus ;
 AEmulus haud Martis , sed *Mavors* ipse vocatus
Lysius , et *Magnus* jure , Albuquerquius Heros ;
 Hactenus , ut quondam , succensus amore suorum ;
 Nectare deposito , divina parumper omittens .
 Non ad barbaricos refugit descendere muros ;
 Aut dèdignatur verbis componere litem.
 Promeritas Navi , proprio de nomine dictæ ,
 Maturare ardet lauros ; alacerque tyrannum ,
 Jam desperatis rebus , terroribus actum ,

Omnia , quæ doceat mens insidiosa , parantem
 Agreditur dictis : qualis , quantusque solebat ,
 Cum , Caput Imperii quam nunc habet Indica tellus ,
 Insula bis hostem metuit ; Malaca recepit .
 Aurea victorem ; victorem Armuzia dives ;
 Promissa barba venerandus , totus in ære .

- » Quid , miser , inquit , agis ? Quæ mente dolosa revolvis ?
- » Quis furor , aut quæ animum petulans vesania cepit ?
- » Fraudibus annexens fraudes , insane , putabas ,
- » Quæ capiti impendet , funestam avertere cladem ?
- » Quos violare audes , an nescis ? Inscius . utrum
- » Concilias hostes REGEM , Populumque potentem ?
- » Te fugit hæc Ipsos impune relinquere nusquam ?
- » Quanta sit a LUSO veniens animosa Propago ,
- » Apparere magis , quam Mauro , debuit ulli ?
- » Sis licet ignarus rerum vel , credo , tuarum' ;
- » Heroum quoties Populo huic obsistere contra
- » Vestrates ausi , quæ tristia damna tulerunt ,
- » Noveris invitus , vulgi quoque sparsa per ora .
- » Proculcata super Maurorum tempora regum
- » AEterna imponit SOI,II fundamina Primus
- » Maximus ALPHONSUS : Maurorum strage cruenta ,
- » Præcurrrens gladio dum strenuus IPSE coruscat ;
- » Atque aditus offert illiso corpore Mendus ;
- » Lusitana ruens en Arce Juventa potitur ,
- » Quam

» Quam fertur clarām statuisse disertus Ulissēs ;
 » Regia utrique polo , septem de montibus , olim
 » Jura , Tagi Decus auriferi , Legesque daturam.
 » Excidio Mauros quanto ditione , memento ,
 » SANCTIUS exturbat , *Regnumque adjungit Ayito.*
 » Sanguine sic Mauro per lētos Alter , et Alter
 » ALPHONSUS mittit nigrantia flumina campos.
 » Nostra nec infecto maduit modò terra cruore.
 » Ejectis ALPHONSUS erat super , atque JOANNES ;
 » Exiūtum ad Libȳcos QUI ferrent usque penates :
 » Tum super EMMANUEL (merito dixere Beatum)
 » Orbe suo quærens alios præstantior Orbes ;
 » QUEM procul optarunt Diadema cernua Regem .
 » Conscia Tingis adest ; Arzila , et Septa loquuntur :
 » Testantur Numidæ ; Turmæ testantur Eoæ.
 » Singula verbosus nam quid deducere nitar ?
 » Nomina sola Ducum , dignis non laudibus aucta ,
 » Serpet in immensum memorare : et dicta supersunt ,
 » Altius ut capias , tibi sit res quanta , Quibuscum :
 » Inque vicem laqueos temnant quām corda latentes ,
 » Quod Mauri valeant , usu perdocta magistro .
 » Alternam hic Vires operam , et Prudentia tradunt .
 » Quid cessas igitur ? Quid flexo poplite supplex ,
 » Quamlibet immeritus , veniam non sæpius oras ?
 » Qui vano gaudent fastu calcare tumentes ,
 » Quos

» Quos juvat ultores compescere crimina poenis,
 » Supplice voce reum prouum miserantur Iidem.
 » Vix medios Titan accenderit igneus aestus;
 » Cum, quae propugnat Tripolinos maxima portus,
 » Victoris fiet *Navis*, geminaeque *Biremes*,
 » Nec dudum captæ, *Dux*, et numerosa *Juventus*.
 » At tu ne timeas: reddentur cuncta petenti.
 « Magnanimis auri nunquam irrequieta cupido
 » Infecit mentes: Gens æqua præoptat amicos,
 » Quām servos, prædamive: fugax, datur, arripe tempus.»
 Dixit; et ulla nihil responsa moratus, abivit.
 Percitus ille pavore tremit; subitusque cubili
 Membra levans, oculos turbatus in omnia volvit.
 Limina perrumpit, collustrat singula, clamat;
 Nec famulis quid dicat, habet, venientibus amens.
 Mox trepidans aciem convertit in æquora, latè
 Quà patet unda; obtutuque hæret fixus eodem.
 Dum notat omne salum cupidus, re visa probantur.
 Prospicit, ut portum velis petit hostica *Navis*;
 Ut propiora tenens, auris dat linteæ retro;
 Utqne omnes inflata sinus, velocior Euris,
 Persequitur prædas, *Navim*, comitante *Biremi*;
 Ut capit, ut remeat, spoliis ut læta triumphat:
 Ut tandem capta vectus, Ductore jubente,

Castrius (1) extremam deprendit nave *Carinam*.
 Tristius, haud votis Hostem exorasse potentem.
 Hinc fuit, Emmanuel (2), duplex Tibi gloria: namque,
 Scilicet assuetus duram contemnere mortem,
 Laberis intrepidus paucis in castra sequutis
 Maura; statim victor, pulsis ad Averna duobus.
 Hæc oculis, nimiùm veracis imagine somni
 Jam prædicta sibi, Caramalius (3) haurit ab arce.
 Principio furiis agitur, perque atria pernix
 Itque reditque fremens; crines, barbamque revellit.
 At timor emollit paulatim pectora: præsens
 Vir mentem non falsus alit spe, cætera verus.
 Nonnunquam addubit: » Quis enim confidat in hoste? »
 Secum ait: ac momento post contraria censem.
 » Quid tentare nocet? Potius quid denique restat? »
 Continuò quemdam arcessit, graviore probatum
 Munere, sæpe sibi dubiis fidum ante periclis.
 Ad Navim jubet ire; Ducique adducere *Gallos*;

Gor-

(1) O Capitão Tenente Manoel do Canto, e Cassro; hoje Capitão de Fragata.

(2) O já referido Sargento de Mar e Guerra Manoel Ignacio; hoje Segundo Tenente.

(3) O Baxá de Tripoli José Caramali.

Gorgonei vultus īstar , mala fronte gerētes .
 » Pro quo , si menti tanta est fiducia , poscat
 » Cuncta , monet , detracta sibi , puppesque , virosque ;
 » Tum quæcumque velint , se dicat in omnia lātum . «
 Exitus exuperat , quidquid sperare licebat .
 Re sibi seposita nulla , puppesque , virosque ,
 Praefectumque Maris captos , concorde Donaldus
 Milite , principibusque Viris , Nautisque remittit .
 Insuper optatum largitur nomen amici ,
 Quod DOMINO firmum Augusto promittit habendum .
 Vix capit attonitus sua gaudia Regulus : ingens
 Lætitiae plausus procerum , clamorque popelli
 Assonat in pelagus , victorumque advenit aures .
 Qua verò tacita mentes dulcedine mulcet ,
 Murmure dum resono tormenta hinc , inde tohabant ,
 Adversa CHRISTO turba acclamante , videre
 Quina Salutiferi splendentia Vulnera CHRISTI ,
 AEternum Decus Imperii , summa hostis in arce !
 Curarum hoc pretium , merces ea digna laborum :
 Nam REGIque , DEOque simul qui serviit , ipsi
 Nil majus Fortuna dabit , neque Gloria majus .
 Et Tibi , Ductorem nunc Lusitana supremum
 Quem sequitur Classis , Sanguis de sanguine Regum ,
 Sed magis Ingenio , magis a Virtutis honore

LIMA (1) potens ; et magna Tibi hinc præconia laudum.
 Talia suscipiens , Pubes Tibi paruit audax :
 Nil factum est , cujus fieres non providus auctor.

Nec minus inde Tibi decoris , clarissime Nelson ,
 Qui rapuisse ferox Neptunia sceptra videris :
 Tu prior ostendis , quæ Gens invicta peregit.

At qui gestorum meliorem vendicat æquo
 Jure sibi partem , quem prima exordia Rerum
 Spectant , me reticente quidem , non nesciet ullus.
 Littora respondent , respondent æquora NOMEN.

Nautica Res , quondam celebres quæ redditit Orbe ,
 Quæ regnaturos extremas duxit in oras
 Lusiadas , (dixisse piget) neglecta jacebat .
 Multa quidem restabat adhuc , demissa profundis
 Brasiliæ silvis , sed multa carina vacabat ;
 Aut siqua imprudens Arcturum , Hyadasque subivit ,
 Tarda movebatur , ventorum oblita , marisque ;
 AEquoreis impar furiis , nec idonea bello .
 Rarus , et imbellis sua munia Nauta videtur
 Dediticisse : sciens nullus paretve , jubetve .
 En RODERICUS adest : Virtus antiqua resurgit .
 Jam nova Progenies emittitur : educat aptos

Nep.

(1) O Excellentissimo Marquez de Niza.

Neptuno , et Marti sapiens Academia cives ;
 Unde vir egregius , quisquis supereminet , optat ;
 Et cum mille studet , cum solus maxima curat ,
 Laudibus incendit , si quis laudabile promat ;
 Munere seu dignum quis agat , cumulatur ab ipsa
 Muneribus : generosa petit sic astra Juventus ;
 Grandia sic sociis Donaldus talibus egit.

O' nos felices , o' terque quaterque beati ,
 Sub JOANNE quibus decurrere dulcia vitæ
 Otia , tantorumque datum est consortibus esse.
 JOANNES , PATRIAE PATER , atque AMOR , inclytæ

REGUM

Magnorum SOBOLES ; et SPES , et GLORIA Gentis ,
 Prima Adamastoreos ausa est quæ invisere vultus ;
 Hesperiaque ima Nabathæas ducere ad oras
 Tradita in Imperii Pignus Vexilla Salutis ;
 JOANNES , tetro cum flagrant omnia Bello ,
 Cum desolatas per terras regnat Erinnys ,
 Subjectos longè populos , latèque vagantes
 Pace fovens placida , Justus , Pius , Optimus , Ingens ;
 Nullam non validè Virtutem amplexus AVORUM :
 Queis credat Res tractandas (hinc omnia pendent)
 Præcipua meritos præstat Virtute legendi .
 Respuit oblatum , corda ambitiosa tegentis ,

Ardelionis opus ; nolentes allicit IDEM.
 Blandiloquæ mendax tacet indulgentia linguæ.
 Nil , nisi vera , probans doctorum Turba Virorum
 PRINCIPIS Excelsi studiosas occupat Aures:
 Consilis , Factisque præest Pallasque , Themisque.
 Non hic quærendis regnis , populisve domandis
 Mars ensem torvus nudat : sed Pace tuenda ,
 Sed casta ut maneant veterum Decora alta Parentum,
 Haud SIBI JOANNES Regni moderatur Habens :
 Gens sua stat DOMINO studiis antiquior ullis.
 Nobilis , aut Humilis ; seu coram justa precatur ,
 Sive procul , Miles , Mercator , Nauta , Colonus ,
 Pro meritis , donis oneratus quisque recedit.
 Miserentem nullum dimiserit , AEQUUS in omnes ;
 Regia quinetiam præcurrunt munera votis ,
 Solaque Poena venit pede clando. Lysia surge ;
 Tolle superba caput : quid non sperare licebit
 Talibus Auspiciis ? Tibi plaudere , o' Lysia , plaudere .
 Jam Tibi fatidicæ nent aurea fila Sorores ;
 Sæclorumque nitens ordo , Regnante JOANNE ,
 Nascitur : incæptis gaude : majora sequentur.
 Fervida funde preces , pia NUMINA sæpe fatiga ,
 Ut Solio Celsa cum CONJUGE fultus Avito ,
 Tempora JOANNES innubila transigat ævi ;

Terror ut Externis , sit maxima CURA Suorum ;
Natorum ut cernens Natos , Natosque Nepotum ,
Senior , unde fuit Munus , rapiatur in astra :
Te dignus PRINCEPS ; Tu PRINCIPE digna vicissim.

F I N I S.

W

ficha 32
Brasil, Autores Nacionais

5.222,-

US \$ 20.-

II/63

Enc. 4109. - Dr. Borba de Moraes. -

S.P.



BRASILIANA DIGITAL

ORIENTAÇÕES PARA O USO

Esta é uma cópia digital de um documento (ou parte dele) que pertence a um dos acervos que participam do projeto BRASILIANA USP. Trata-se de uma referência, a mais fiel possível, a um documento original. Neste sentido, procuramos manter a integridade e a autenticidade da fonte, não realizando alterações no ambiente digital - com exceção de ajustes de cor, contraste e definição.

1. Você apenas deve utilizar esta obra para fins não comerciais. Os livros, textos e imagens que publicamos na Brasiliiana Digital são todos de domínio público, no entanto, é proibido o uso comercial das nossas imagens.

2. Atribuição. Quando utilizar este documento em outro contexto, você deve dar crédito ao autor (ou autores), à Brasiliiana Digital e ao acervo original, da forma como aparece na ficha catalográfica (metadados) do repositório digital. Pedimos que você não republique este conteúdo na rede mundial de computadores (internet) sem a nossa expressa autorização.

3. Direitos do autor. No Brasil, os direitos do autor são regulados pela Lei n.º 9.610, de 19 de Fevereiro de 1998. Os direitos do autor estão também respaldados na Convenção de Berna, de 1971. Sabemos das dificuldades existentes para a verificação se um obra realmente encontra-se em domínio público. Neste sentido, se você acreditar que algum documento publicado na Brasiliiana Digital esteja violando direitos autorais de tradução, versão, exibição, reprodução ou quaisquer outros, solicitamos que nos informe imediatamente (brasiliiana@usp.br).